

Q. B. V. D. T. O. M.

THESES
MORALIS,
ATQUE
HISTORICI
ARGUMENTI,

QUAS

*Ad Mandatum Amplissimi Senatus Academici
Publico bonorum examini submittit*

JACOBUS J.
HAARTMAN,

PROF. PHILOS. & HIST. LITT. REG. & EXTRAORD.

RESPONDENTE
JONATHANE ABRAHAMO HOECKERT.

STIPENDIARIO REGIO,

BOREA - FENN.

AD DIEM XXVII. MARTII, ANNO MDCCXLXII.
Loco horisque ante merid. solitis.

ABOVE, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO plurimum Reverendo atque Clarissimo
**D_{N.} M^{AG.} EPHRAIMO
HOECKER^T,**

Vice Pastori & Sacellano Ecclesiae, quæ Christo Neo-
stadii colligitur, meritissimo,

FRATRI OPTIMO.

Dum TUA, FRATER optime, in me collata publice de-
prædicare licet beneficia, dicendorum copia me
ad tristem redigit verborum inopiam. Paucis ita-
que quod res est dicam. Quum PATRE orbatus fui,
TU FRATER Dilectissime locum E^ZUS ita occupasti, ut
EUM absentem in TE præsentem venerari mibimet sim
visus. Tu enim et si non ut viverem fecisti, tamen ut opti-
me viverem, magna TUA effecisti liberalitate. Tu certe
non grave duxisti, me IPSE, ad sacra Apollinis bonosque
mores eformare. TU maturis & saluberrimis consiliis,
nec non fidelissimis, ut studiis digne navarem operam,
mibi semper adfueristi admonitionibus. Tu libros, meis
usibus largitus es, plurimos, nec ullam intermisisti oc-
casio-

easionem aut illis pepercisti sumtibus, quo necessaria mihi suppeditares. Quantum TIBI FRATER Indulgentissime itaque debeam, Oedipo non opus est conjectore. Quumque nihil quod rependam, mihi suppetat praeter voluntatem, hisce paginis, quas pro ingenii modulo defendere D. F. conatus sum, imo quibusque verbis literisque obsignataam quasi eandem, in tesseram gratissimam post DEUM mentis, TIBI maxime debitae, hilari fronte & mente accipias, & quam ad praesens usque sanctiam mihi ultro benignaque reservasti germanitatis necessitudinem, eandem in posterum etiam perpetuam conserves, iterum iterumque rogo. De cetero supremum Numen piis venerabor precibus, jubeat TE, FRATER Carissime, in annos bene multos ea frui felicitate, quam pia mens unquam optare TIBI valeat. Ita vovit dudum, vovet etiam num, vobebitque in futurum

NOMINI TUO

SUDANON

Frater obstrictissimus,
JONATHAN ABRAH. HOECKERT.

& Mr. le Defenseur de cet Ouvrage.


MONSIEUR.

La confidence intime, que Vous, MONSIEUR, m' avés conservée dès le berceau, ne me permet à laisser passer aucune occasion, qui se présente, sans Vous temoigner toujours, la part, que je prends de Votre prospérité. C'est ce, qui m' oblige aussi maintenant à publier cet applaudissement, quoique impoli néanmoins bien intentionné, à cause de Vos progrés le plus belles en des sciences. Que Vous, MONSIEUR, Vous avés chargé d'être Repondant de ces verités, produites d'un Auteur très célèbre, prouve assés, que Vous ayez déjà atteint la solidité & notice foncée, qui Vous fait digne à donner publiquement la preuve première de Votre savoir. C'est, pourquoi j'ai l'honneur de Vous feliciter du beau commencement pour obtenir un laurier bien mérité à l'avenir ; comme aussi de la continuation constante de Votre voyage assidu au chemin de la vertu. Je felicite, de tout mon cœur, Vos chères Parens, de la joye, que Votre avancement Leur donne. Au reste je felicite aussi moi même d'un Ami si louable que familier. Je souhaite sincèrement, en peu de mots, que Votre felicité fleurisse en cette vie & obtienne sa maturité en l'éternité. C'est mon vœu, & une marque de l'attachement, avec le quel je serai toujours,

MONSIEUR,

*Votre très affectionné serviteur
& Ami.*

J. H. L.



THESIS I.



atur *Jus* quoddam *Naturale*, omnes omnino homines sigillatim & in individuo, sed diversimode tamen pro statu cuiusque vario, tam originario, quam adventitio quocunque, in *foro* conscientiae & poli, ut dici solet, obligans exacte & absque ulla exceptione.

THES. II.

Ubiunque adest *Obligatio*, ibi etiam datur *Jus*; neque ulla jura dantur, nisi ad satisfaciendum obligationi. Itaque nec *Potentia* ulla per se unquam dat *jus*, sed huic demum subordinata esse debet omni casu & tempore.

THES. III.

Amor sui proprius mensura est communis officiorum erga alios. Et legum quidem prohibitiva-

fum summa erit: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; præceptivarum vero: quod tibi vis fieri ab alio, idem & alteri facias.* Permissivas ita dictas quod attinet, sunt eadem vi theseos præced, appendices quasi ceterarum, iisdemque ipsis continentur.

THES. IV.

Quemadmodum vero, ex defectu sanioris judicii, iniquissimi sepius de ipso factō adversus nosmet ipsos esse solemus: ita multo magis eadem ipsa iniquitas metuenda nobis foret ab aliis, si in exigendis juribus atque officiis, quæ nexu quodam sororū reciprocantur ubique sibi invicem in genere humano, standum alicubi non esset judicio cujusque proprio, sed alieno semper alterius cujusque probabili vel præsumtitio.

THES. V.

Itaque accommoda satis ad rem pro præsenti statu atque conditione mortalium, & adæquata est quoad jura & officia hominum mutua, Juris Naturalis distinctio in Strictum & Laxum, Cogens & non Cogens, Externum & Internum. Quorum illud in *foro* quidem humano s. *soli*, ut dici solet, obligationem perfectum, cui ut satisfiat, alterum vel invitum quis vietiam adigere potest; hoc vero imperfectam duntaxat, utpote cogi nesciam, producit. In priori casu exigentis, in posteriori præstantis vel debitoris partes erunt potiores, quorum ideo sic quidem judicio standum est omnino, nisi summa imis miscere, turbareque omnia volueris.

THES. VI.

THES. VI.

Officia nempe stricti juris *ad suum cuique*, quod alioquin in latissima sua extensione, officia facile omnia & singula hominum suo ambitu complectitur, restringunt ad complexum earum duntaxat rerum omnium, quæ ita propriæ cuique & in dominio jam constitutæ sunt, ut nulli præterea alii ex æquo sic competant; eoque ipso materiam primam exhibent, cui, ceu basi & fundamento præcipuo, *Justitia* omnis superstruenda erit. Iis quippe læsis, vel salvis non persistentibus, nec genus humanum consisteret, neque vita socialis ulla coli poterit, sed bellum erit omnium in omnes.

THES. VII.

Officia vero imperfecte debita quod attinet, cedunt eadem perfecte debitibus quibuscumque omni casu & tempore, nec nisi salvis demum iisdem pariter atque officiis erga seipsum locum ullum tueri possunt, atque ne sic quidem uni magis quam alteri, sed indefinite omnibus & singulis, pro meritis cuiusque, de jure debentur; consequenter neque vel utecumque hic aut nunc intermissa interdum, honestatis læsæ vel justitiæ æquitatisve violatæ notam characteristicam certam imprimere per se unquam possunt strenuo cetera & ingenuo cuique Juris Naturalis stricte sic dicti, neque adeo Civilis solum, observatori atque cultori assiduo.

THES. VIII.

THES. VIII.

Jus igitur N. strictum palladium sanctissimum esse debet *Civitatis* vel *Societatis* cujusque *Civilis*; quique *rum suum cuique* hic migrare nititur, quæque stricti juris sunt capita pedibus conculcat identidem, is, quantum in se est, fundamenta atque prima statim reipublicæ convellit maxime. Absurda nempe est omnino vita quæcunque socialis, quæ principiis primis nobiscum natis ex adverso & diametraliter repugnat.

THES. IX.

Evidem *sufficientia vitae*, s. abundantia eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt, finis quoque esse debet, cui in republ. haud desultorie insistendum. Ast *tranquillitas* tamen s. vacuitas a metu inuriarum, sive a violatione juris sui, & *securitas* a vi quacunque externa, supremum semper locum occupant inter caussas impulsiyas constituendæ civitatis.

THES. X.

Cetera quippe commoda, quæ ex societate civili optime constituta, vigente potissimum & florente jam, proveniunt, & in cives larga satis copia redundant, accessoria quasi sunt, neque tam ad esse, quam ad *bene esse* Civitatis spectare videntur.

THES. XI.

Tametsi vero vi atque necessitate quadam externa cives in republica vel inviti adigi possint, atque adigendi etiam sint, ad jura cujusque mutua integræ servanda, obligationibusque perfecte debitæ ex asse ali-

aliquo usque satisfaciendum: tamen reipublicæ interest vel maxime, atque inter pia societatis delideria prima & ultima identidem referendum, tum ut sponte sua & lubenter quisque hac ex parte exsequatur faciatque, quod suum est; tum vero etiam, ut capita interni atque laxi illius juris, imperfecte alioquin debita, quanto studio & nisu maximo fieri unquam poterit, sarta tecta vigeant florentque in vita communi, progerminentque sic ex hac quoque parte fructus optimæ notæ, qui coacti demum, perdunt & de valore atque pretio suo intrinseco, & impensam simul iisdem operam quamque.

THES. XII.

Præcipua igitur cura esse debet reipublicæ, ne adsit penuria bonorum virorum. Nam pro copia eorundem, majore vel minore, salus civium, quæ finis reipublicæ esse debet, intenditur magis vel minus, vel periclitatur omnino.

THES. XIII.

Characterem *boni viri* reponimus in ardore vitæ honestæ, vero quidem, non apparente, sive in promptitudine & dispositione quadam animi proxima, suum cuique tribuendi, & obligationibus conscientiæ, rite prius instruendæ, pro modulo suarum virium satisfaciendi.

THES. XIV.

Quemadmodum itaque actiones hominum liberae, ubi formam earum internam magis quam materialiam

teriam spectaveris, suum habent preium intrinsecum, & longe quidem maximum, ex intentione sive ex qualitate & quantitate motivorum, quibus ad agendum determinari semet quisque patitur: ita vir quisque bonus, non ex metu pœnarum vel incommodorum prævisorum, neque ex spe utilitatis propriæ s. ex rationibus politicis, vel ex motivis aliis quibuscunque extrinsecis, sed ex stimulo virtutis atque pietatis interno, non tantum acerrimus erit cultor officiorum stricti juris, sanctaque observantia quadam & custodia eorundem haud interrupta tenebitur, verum etiam officiis amoris atque humanitatis, imperfecte alioquin debitum, lubenter pro viribus indulget.

THES. XV.

Atque hic quidem Rhodus est, hic salta. Valde enim vereor, ne in hoc stadio dormitet interdum bonus quisque Homerus, neve optime hue quadrent, quæ apposite monuit quondam Cartesius initio disserit. de Methodo: "nulla, inquit, res æquabilius inter homines est distributa quam bona Mens: ea enim unusquisque ita abundare se putat, ut ne quidem illi, qui maxime inexplebiles cupiditates habent, & quibus in nulla unquam alia re Natura satisfecit, meliorem mentem quam possideant optare conservent.

THES. XVI.

Hinc vero patet usus atque necessitas Ethices s. philosophiae moralis καὶ ἐξοχὴ sic dictæ, ut quæ emen-

mendatæ vitæ voluntatisque homines præstare debeat: Quare cum Jurisprudentia Naturalis nudam theoriam quandam subministret actionum quarumcunque bonarum & malarum, neque adeo per se adsequatur ullo modo finem, quem ultimato intendit Philosophia nostra Practica; qui eidem, pariter atque Jurisprudentiæ civili, unice ita dat operam, ut praxin officiorum parum cordi habeat, Ethiquesque adeo sanioris studio nuncium plane mittat, is vero non inutilis quidem sibi vir, sed perniciosus tamen patriæ civis merito haberí debet.

THES. XVII.

Quod de Scythis quondam suis pronunciavit Trogi epitomator Justinus, tantum profecisse eosdem ignorantia vitiorum, quantum Græci cognitio-
ne virtutis; id aliquid in recessu foveat, sane quam utiliter in moralibus identidem imitandum atque observandum, ut scil. parci simus & cauti in vitiis quibusque describendis aut delineandis, maxime si nondum fuerint cognita satis & pervulgata, largissimi contra in incrustandis vicissim virtutibus op-
positis.

THES. XVIII.

Hinc pessimæ notæ sunt homines in consortio hu-
mano, qui vitia nova, novasq; technas atq; fraudes suo exemplo, vel doctrina etjam, producunt in diem, pestes utique reipublicæ pariter atque generis hu-
mani, & promotores omnis nequitiaæ, tanto quidem.

citius ruituræ in perniciem totius societatis, quo longius serpit.

THES. XIX.

Bellum, ab æquilibrio petitum, injustum plane in se est, causaque mere chimærica nititur.

THES. XX.

Idem vero etjam de *Ostracismo* Atheniensium & *Petalismo* Syracusanorum judicium ferendum. Tametsi enim æqualitati hominum naturali illud vel in primis repugnet, si quis jura sua alterius cùjusque juribus præferre, aut inferiorem quemque suo jure disturbare voluerit, potentia qualicunque instructus ad id atque munitus: quavis tamen alia ratione malo huic occurrentum erit omni nisu atque viribus, quam ut pacta quasi conventa prima societatis, aut jura confociatorum primaria & congenita ulla ex parte metui cuique, justo utcunque aut injusto, sacrificare liceat.

THES. XXI.

Regulis omnino sanioris politices congruum maxime est consilium, quod de coërcendo intra terminos aut justos limites imperio mentem Augusti Cæfaris, vere Augusti, subiisse quondam, Tacito referente, Historico *πληνότατα*, legimus. Nam & morbi speciem sat periculosi refert, dum mole sua nimium laborare corpus incipit, neque ex mo-

le sua & magnitudine æstimanda erit potentia imperii, sed ex vigore & firmitate, pariter atque ex concinna structura & harmonia partium, tam integrantium quam potentialium; & saluti præterea singulorum magis consulitur in imperio modico vel mediocri, quam in vasto admodum atque posteriori.

THES. XXII.

Ita vero Monarchiam quandam universalem, neque obtentu aut conservatu adeo facilem, neque humano generi conducibilem valde, judicamus.

THES. XXIII.

Ipsum imperium vastissimum *Sinarum*, cuius forma regiminis absolute Monarchica sub Augusta satis idea *Patris Patriæ* valde celebrari solet, multis non solum & maximis quondam rerum suarum conversionibus identidem exposita fuit, sed etiamnum quoque sub præsenti rerum suarum flore ærumnarum satis sinu suo fovet, suosque naves insignes patitur.

THES. XXIV.

Cum multæ sunt fabulæ ab Historicis medii ævi adoptatae atque in posteros propagatae, criseos itaque senioris ope corrigendæ vel tollendæ penitus; *regnum* tamen, cuius sub nomine *Presbyteri S. Johannis*, s. *Priester Johan*, inde a seculo XI. to-

tam fere Europam fama percrepuit, sed postmodum a Zingis Chano, incluto Tatarorum Principe, eversum est penitus atque inde paullatim evanuit, veram & nativam suam sedem habuit olim in regno Tibeth vel Tanguth, Sinis vel Seribus veterum vicino, vel alio eidem proximo, sacrisq; Nestorianorum quondam imbuto; non item in Æthiopia.

THES. XXV.

At vero Presbyterum istum eundem fuisse cum eo, qui hodiecum sub nomine *Dalai Lama*, ceu summus Tatarorum Pontifex, in regno Tibeth habitat, atque longe lateque per Orientem colitur, illumque in hunc transformatum posteriori ætate, id quidem nulla omnino fide nititur.

THES. XXVI.

Crucis signum Christianismi nota ambigua satis est, neque adeo lapidibus nostris Runicis hoc nomine discernendis sufficiens aut idonea.

THES. XXVII.

Hierosolymarum urbs hodierna, quo olim ante 1700 annos, ulteriusque porro, florentibus maxime rebus Judæorum, perstiterat loco, etiamnum, post Æliam excisam, sita deprehenditur. Ast *Sepulcrum Christi*, cum *monte Calvariae*, quod in media urbe illic nunc visitur & religione summa colitur, quodque tot expeditionibus Christianorum Principum Cruciatis ansam plura per secula dederat, genuinum non est, sed plane supposititium.

TH. XXVIII.

THES. XXVIII.

Inter fragmenta Historico-Geographica non infimum locum occupat *regnum*, trans *fluvium* miraculosum *Sabbaticum*, *Judeorum*, sive *Israëlitarum* potius, cujus prima stamna reperire licet Lib. IV. *Esdrae* cap. 13. de quo ut mirifica sibi pollicita est semper gens *Judæorum* in hunc usque diem, ita in ultimis *Asiæ* angulis orientem versus, delitescit quasi, nonnulli eorum; quidam specie veri aliquantulum majori in vastissimo *Habessinorum* imperio; alii tandem, & in his præcipue celebris ille superiori seculo R. Menasse ben *Israël*, in America, sed irrito semper conatu, idem reperisse sibi sunt vissi.

THES. XXIX.

Sunt autem *Judæi*, inde a nutante ipsorum republica in hunc usque diem, pessimi Historici, atque gens ista ex justo quodam judicio Divino ad fabulas nugasque insulsissimas divendendas nata quasi & facta pedetentim adeo, ut si unum forte *Flavium Josephum*, *Matathiæ filium*, non *Gorionidem* illum, exceperis, inter scripta ipsorum Historica, oppido quam pauca, nullum quidem reperire liceat, quod a somnio multum abeat, vel folœcismis Historicis gravissimis non sit refertissimum.

THES. XXX.

Fennos & *Lappones* hodiernos reliquias & propaginem genuinam esse *Israëlitarum* sive X. Tri-buum

buum in Assyriam locaque vicina asportatarum o-
lim, hypothesis quidem est ingeniosa satis & e-
ruditionis laude conspicua, sed quæ propius ex-
pensa parum in se habere videtur firmitatis at-
que solidi.

THES. XXXI.

Neque iidem sunt *Venedi*. Sed quantum ad-
huc quidem probabili maxime conjectura in re ob-
scurissima adsequi licet, *Scythicæ reliquiæ* sunt, &
propago hujus gentis certissima.

THES. XXXII.

Nam & nomina quoque & vocabula Scytha-
rum veterum authentica & domestica, qualia no-
bis in hodiernum usque diem quamplurima con-
servavit memoriæque prodidit Herodotus, fidus il-
le & antiquissimus Historiarum Pater, Fennicæ lin-
guæ hodiernæ in multis vestigia produnt etiamnum
fat manifesta.

THES. XXXIII.

Sinus Venedicus veterum, hodiernum quoque
Livonicum includit, eodemque boream versus ter-
minatur; & *Eridanus* fluvius, unde electrum venire
Herodoti jam ætate credebatur, hodiernus Duna
est, Rigam Livoniæ urbem primariam alluens.

THES. XXXIV.

Rufforum nomen & imperium recens est, &
inter recentissima, sed jamdum potentissimum, &
quem-

quemadmodum ex variis diversarum undiquaque stirpium gentibus successive coalitum, ita ex magna quoque sui parte gentem Venedicam, olim antiquissimam, matrem agnoscit & promocondam.

THES. XXXV.

Vero admodum videtur simile, neque argumentis omnino Historicis destituitur conjectura, Carthaginenses & Phœnices olim, cum circumnavigaverint Africam, penetrasse quoque in *Americam*. Neque tamen ideo ad Homerum provocamus, quem Æthiopum Occidentalium nomine Americanos indigitasse suspicati sunt quidam.

THES. XXXVI.


In Historico, & fides, & judicium requiritur.

T A N T U M.



Pereximio
Domino RESPONDENTI,
AMICO INTEGERRIMO.

Ab omnibus cordatoribus illos semper eximus suus manet honor, & haud raro virtutis condecorantur brabæo, qui in castris Musarum strenue sub vexillo Apollinis militantes, firmo fixoque gressu virtatis semitam preueniunt, interritaque mente per excelsas ac difficiles Parnassi rupes ad culmen glorie summo contendunt nulu. Horum in numero, quum etiam Te, Amice optime, ingenue & pro virili certantem certo certius animadvertebam, animi misans amici notam vix effugerem, sed plane immenor patitum esse videret meatum, nil occasione has diu exoptata mihi tandem oblara, gaudium, quale intra cancellos sinceri pectoris tumescit & ex ingenio Tuo optime excuto jandudum cepi, pacifissimis & levissimis publice testatum iterum lineolis: Juber enim hoc arctior illa, quæ mihi Tecum est familiaritas. Ast, quum desint mihi verba & facundia vires, laudibus Tuis promeritis rite exprimendis sufficienes, & major sit virtutis & morum Tuorum-integritas, quam ut eandem levi attingere valeam penicillo: ad calida & candida confugio vota, Cœleste Numen devotiori mente precans, ut salvus & sospes, breveque pertinacissimis laboribus & vigili Tuo studio condignam præmiorum consecuturis nesciem, in Tuorum gaudium & solarium, Patriæ commodum, amicorumque decus, diutissime viyas! vale,



*Prolixior sensu quam verbis, sincerum
sic declarare voluit adfectum*

H. G. H.